Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 109
Quelle:
Copyright:

rum media tota miniata Textum *Cantici Canticorum* luculentum exhibet, *gloſſa interlineari* diſtinctum, laterales vero *gloſſa Walafridi Strabi* dicta *ordinaria* occupantur. Praefatio ad hanc quidem *Gloſſam* pertinet, ſed ejus membra aliter diſpoſita ſunt, quam in Edit. *Bibliorum Gloſſator.* v. g. *Lugdunenſi* 1545. T. III. *fol.* 354. Incipit enim: *Notandum quod ſemper ſponſa in domo uel in lectulo* &c. quae in Impreſſis circa finem leguntur. A *fol.* 29. p. 2. ſubjuncta eſt brevis alia Expoſitio, quae tamen a C. I. v. 7. tantum usque ad C. II. v. 3. porrigitur. Succedunt Concertationes quaedam theologicae captioſae acuendi ingenii gratia, Dubia propoſita, Fabella de Ligno Crucis, Fragmenta Martyrologii &c. omnia levis momenti. Juxta *Fol.* 1. p. 2. Codiculum hunc Facultati Artium dedit a. 1457. e Teſtamento D. *Johannis* M. *Nicolaus de Hittendorff*, quorum neutrum novi.

LXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 7 partim XIII. partim XIV. Folior. 159. f. continet I. pereleganter ſcriptam *Iſaiae Prophetiam* et rubricis diſtinctam, lineis inter ſe diſtantibus, quo *gloſſa* recipi poſſit minutius exarata. Praeeunt vero Loca collecta *Hieronymi*, in quibus *Iſaiae* fit mentio. Praeter jam dictam *Gloſſam interlinearem Anſelmi Laudun.* utrinque magno nitore in marginibus adſtituta eſt *ordinaria*, quae vulgo *Walafrido Strabo* tribuitur, ut adeo Exemplar iſtud *Biblia* noſtra *gloſſata* typis edita referat.

II. *fol.* 122. ſequitur manu Sec. XIV. per duas columnas exaratum charactere luculento *Pſalterium*, in quo id peculiare, quod paſſim inter *Pſalmos* Notae muſicae inſertae ſint, iisque Textus quidam ſubpoſitus. Ita poſt *Pſ.* VI. cantare jubemur:

Hic fidei meritis uocitatur iure beatus
Legem qui domini meditatur nocte dieque.

Beatus uir. Seruite domino in timore et exultate ei cum tremore. Et poſt *Pſ.* X.

Juſte deus iudex fortis patiensque benignus
In te ſperantes muni miſerando fideles.

Domine deus meus. Domine deus meus in te ſperaui. Et ſic deinceps poſt *Pſ.* XIV. XV. XVI. &c. *Pſalterio* ſubjuncta ſunt reliqua *Cantica Biblica* cum Hymno *Ambroſii*, Symbolo dicto *Athanaſii*, et Litaniis OO. SS. quos inter cum invocetur *Colomannus*, Codicem in *Auſtria* ſcriptum fuiſſe vix dubium eſt, cumque bis pro *Magiſtro*